

EXERCITIUM ACADEMICUM, 16
De

MONTIBUS IGNI- VOMIS,

Quod Montium

ALTISSIMO BENEDICENTE LABORI,
Consensu Ampl. FACULT. PHILOS.,
In Illustri Academia Aboënsi,
Sub MODERAMINE,
AMPLISSIMI VIRI,

DN. M. PETRI HAHN,
Scientiæ Nat. Prof. Ord. & Regii,
Præceptoris & Promotoris sui maxime
suspiciendi,

*Liberalis Exercitii gratia ingenuè Philosophan-
tium placidæ censuræ modestè submittit*
S. R. M. Al.

ANDREAS LUNDELIUS,
Wex: Smol.

In Acroaterio Max: d. 10 Junij, 1693.

Exc. apud Jo. LAURENTII WALLIUM.

VIRO
IN REGEM FIDE,
NOBILITATE, AMPLITUDINE, ERUDI-
TIONE ET OFFICIORUM MERITIS,
MAXIME INCLITO,

DN. ERICO
TJGERSTÆDTI

REGII DICASTERII, QVOD ABOÆ
EST, ADSESSORI GRAVISSIMO,
UT ANTEA NUTRITIO LIBERA-
TISSIMO, ITA ET NUNC MECOE-
NATI ET EVERGETÆ, QVOVIS
OBSEQVII ET OFFICIORUM
CULTU ÆTERNUM SU-
SPICIENDO,



or tantisque beneficiorum myriadibus, memet Tibi devinxisti
NOBILISSIME DOMINE, ut non
solum pia vota & liberalissimum
praconium, sed & ingentem Gratiarum He-
catomben, tibi deberi, ingenue confitear. Ast
cum mearum non sit virium, tuis beneficiis
aliquo modo respondere, nisi rependere me co-
gites, cum libenter debeam. Hunc igitur te-
nellum ingenii fatum Nomini tuo dicare, non
dubitavi, spe optima fretus, ut statuam hanc
Chartaceam, tanquam monumentum grati-
tudinis nunquam intermoritura, erectam, fa-
vorabilis inspicias, clientuloque Tuo dehinc
favere pergas, quod humilima mente expetere

NOBILISSIMI DOMINI,

Subiectissimus

A. E.

*Literarum, aequitatis & meritorum
gloria inelyto,*

DN ANDREÆ MATHESIO,

In Both: Or: Judici Territoriali æ-
qvissimo, Evergetæ & Promotori
suo summe colendo.

*Nec non
Reverendis &*

DN. ABRAHAMO FALANDRO,

Sacellano in **Calajochi** dignissimo,
fautori & benefactori, officiose co-
lendo.

DN. ERNESTO GRANDELIO,

in **G: Carlby** Sacellano benè me-
rito, fautori gratâmente colendo.

*ut
Æquitate & prudentia*

DN. GABRIELI BRENNER,

Mercatori **G: Carlburg:** accura-
tissimo.

DN. ERASMO Björckman / Mer-

catori nominatæ urbis commenabili.

Fautoribus & benefactoribus

*Plurimum Reberendo & Clarissi-
mo Domino,*

MAG. JACOBO FALANDRO,
Pastori in **Cronoby** meritissimo,
Meccœnati & Promotori, multis no-
minibus colendo.

VIRIS

Eruditissimis,

DN. CLAUDIO JUNIANDRO,
Scholæ Nycarlbουργensis Moderatori
solertissimo, fautori multis nomini-
bus honorando.

DN. CHRISTOPHERO Granqvist
Sacellano in **Lochto** vigilantissimo,
Amico in paucis dilecto.

&

maxime Conspicuis

DN. CAROLO MATTHIÆ,
Curiaë **S: Carlbürg:** senatori per
industrio.

DN. JOHANNI Herrman / Mer-
catori prædict civitatis Industrio.

suis Pl: honorandis



Udum aliquod vobis Con-
sultiffime, Pl: Rev: Rev:
spectabilesq; Domini, gra-
titudinis monumentum
à me erigendum fuisset;
verum enimvero, utcumque de hoc ipso dis-
multumque mente agitavi: per invidiam
tamen fortunæ asperioris Conditionem; nun-
quam licuit gratam meam mentem vobis
probatam dare. Novercans quippe bonæ
mentis soror paupertas, mihi semper obsta-
culo fuit, remoramque conatibus injecit,
ut quem vobis debeo grati animi affe-
ctum, nullo modo hætenus declarare po-
tuerim. Ansam autem tandem nactus,
hunc tenellum ingenii mei abortum, po-
tius quam fatum, Nominibus vestris dis-
care, non subveritus fui, spe optima fre-
tus, ut levidenses hæc meas lucubrationes
innocentesque Cadmi filias, serenâ frontê
suscipiatis, nec eis benevolentia vestra
fores pulsantibus, domicilium denegetis.

Lubens equidem fateor prorsus crudas esse
has ingenii mei primitias quae augustum
vestrum conspectum nunc subire sustinent,
imo levissimas, & non nisi manu haustam
aquam, quam Rusticus Xerxi Porrexit,
vobis tamen offerri discipient, vestroque
benevolentiae Phosphore irradiari, ut
splendidiores evadant. Multi lapides non
corruscarent, nisi auro circumdarentur;
Sic etiam pagellae haec aeternis in tenebris
squalerent, nisi Lucis aliquid à vobis
nanciscerentur. Materiam quod attinet
est ea satis ardua, multisque difficulta-
tum tricis implexa, adeo ut prolixam &
politam desideraret expositionem, sed eam
à me Expectare non potestis, vetuit namque
& ratio temporis, & maximè curta su-
pellex, quae vel optimos quosque non raro à
proposito absterret. Suscipite ergo quæso,
Promotores & Fautores optimi, hoc quae
aecunque beneficiorum in me collatorum
Redhostimentum; & si minus politum,
sciatis neminem prima vice omnem men-
tis Caliginem discussisse, & sine fumo
flammulam ingenii accendisse, Cum in
rebus arduis etiam tentasse sat est. De
cetero DEUM optimum Maximum supplex
veneror, velit vos, Promotores & Fauto-

res optimi in annos multos suo Pylos,
Salvos & incolumes conservare; ut vivatis
diu felices vobis, vestrisque omnibus: De-
nique quo mihi etiam gratulari possim,
de tam benignis studiorum meorum Pro-
motoribus. Interea valete Promot: & Fave:
Opt: ac favete Nominibus vestris

addi&ssimo
A. L.



Adspira cœptis summe Iehova meis!

PRODRONUS,

Extra paternæ glebæ ambitum tenden-
tibus, varia vitæ discrimina occur-
rere, ipsis interdum haud sine ultimo
exitii periculo transeunda, neminem
patere autumo, qđi vel primis labellis scripta
Historicorum libaverit. Heic enim inevitabi-
les fluctuum turbines ac vortices, mortem
singulis horis, illis minitantes; ibi nemora tor-
tuosis labyrinthorum mœandris circumseptâ,
variis montium, ac collium Cryptis & antris
obsita; nunc ferarum copiam, rapinam au-
xie anbelantium, nunc iterum latronum
manum aspectu horribilissimam, obviam sibi
fieri, conquerinecessum habent. Adeo ut mor-
tis fauces undiqve apertas credas, quæ ut
declinent, Argi oculis opus habent: mille

A

quip-

quippe perdendi modi, mille artificia, insidia-
 numque loca ipsos perterrent. Idem ego
 mihi arcana natura rimanti, seu cor terra
 & viscera Geocosmi introspecturo, per
 occultos hiatus, cecosq; voraginum ductus
 interioris terreni ventris Cryptam penetra-
 turo, infinitis pyrophylaciorum, hydrophyla-
 ciorum ac aërophylaciorum thesauris refer-
 tissimam, contingere certus scio. Ideoque ha-
 rum rerum profunda admiratione attonito,
 haeret vox, corde palpitante, medullis omnibus
 obrigescentibus, verenti ne tenebra conculcent
 me in visceribus inferioris regionis errantem,
 ac laborantem, majusq; dolium versantem,
 quodam aliquando ingressus fuerit versaritq;
 Diogenes. Quare ut in subterranea disclu-
 siq; à nobis reconditi mundi adyta, mihi, pe-
 dem intrepide liceat introferre, ad ea, qua
 meditor Propitium DEI Sydus & auxi-
 bium efflagito, ad cujus lucem omnes te-
 nebrae discutuntur. Sit itaque nobiscum
 DEUS, ac nostrum Laborem dirigat!

MEMBRUM PRIUS,

§. I.



um jam non sublimi vertice
 sydera ferire, sed in profun-
 dam Geocosmi abyssum de-
 scendere in animum indu-
 erimus, rimaturi secretioris ignis sub-
 terranei ductus, ac eructationes, per
 montes quosdam (quos ignivomos vo-
 cant.) exitum quærentes, montium i-
 gitur naturam paucissimis libare non
 pigebit, quo citra omnem pulveris
 actum, viam nobis sternamus ad se-
 pientia, ubi tamen scientes eorum de-
 finitionem sicco quod aiunt pede, præ-
 erimus: sperantes tanto magis nos à
 volibet æquo rerum æstimatore, ve-
 iam consecuturos, quanto notior cui-
 bet, qui vel a limine, scripta physi-
 orum salutarit. Rei igitur arcem in-
 adentes, ejusdemque nucleum li-
 antes, mox actui ipsi nosmet accingi-
 mus.

§. II.

Antequam telam ipsam disputationi pertexere aggrediamur, levi penicillo harum Geocosmi substructionum utilitatem, adumbrare non pigebit, ne quis insufficientiæ nosmet infimulet. mederi quippe gestimus in quantum talentum nostri ingenii permittit, satietati lectorum. Ad propositi ergo filum deducendum propius accessuri, dicimus, quod summus rerum omnium plastes (cuius consilium est abyssus multa, nec quisquam mortaliū est, qui divini consilii sacramenta, penetrare possit) In ipso rerum primordio, cum totum terrenum corpus producturus esset, mox idem etiam montium structuris, veluti mammulis quibusdam ultra ipsum corpus prominentibus, decoratum voluit. Quamvis nec negatum imus, eorum sententiam, qui volunt paucos in cataclysmo universali, congectioni limi originem suam debere. Verum enimvero, cum multis argumentorum ponderibus hæc naturæ tubera, una
cum

cum Geocosmi corpore producta esse evincere possimus, horum igitur nonnulla, in proscenium producere animus est.

§. III.

Primum nostræ stabiliendæ sententiæ fundamentum, nobis porrigunt Sacræ pandectæ, rotunde assentes *exundantiã aquarũ, omnes montium apices quindecim cubitorum dimensione, excessisse, & arcam quievisse super montem Ararat, jam quomodo potuissent exsuperari, nisi prius extarent? sane non ens, nullas habet affectiones. Terrarum porro, ignium, ac aquarum massam concatenatis montium ligamentis compaginari, mox ab initio mundi necessum habuisse, pari ratione ac animalia ossium serie coagmentantur, citra omnem dubitationis aleam statuimus. Nam cum mare terræ circumfusum, variis estibus crebro etiam fluxu ac refluxu, deniq; ventorum sevitia agitetur; fieri non potest, quin materia consono dissona, ruptis istis claustris, dilaceraretur, ac immodica diluvie vastaretur.*

Hinc

Hinc & omniscii plastæ sagacissime consilio factum est, ut geocosmi ventrem undiquaque cingerent, ac ambirent ejusmodi montium catenæ. Quod ipsum vel ad nauseam cui libet inculcant mappæ geographicæ ubi à polo extensi montes Norvegiaci, Apenninum, Pyrenæi & Alpes in Europa. In Asia Taurus, Caucasus, Paropamisus ab ultima insula Zeilano per mediam Indiam & Scythiam aliis montium ramis, velut Costis quibusdam ossaturæ in utrumque latus vergentibus, recta in Boream tendunt. In Africa montes Lune, ab æquinoctiali plaga in Australe Bonæ Spei promontorium, continua serie videmus excurrere. Americam denique universam, velut septo quodam saxorum, e Borea in Austrum recta tendentium dividi in Orientalem & Australem clarum est. Fortuitum igitur & casuale non sunt hæ naturæ machinæ. Vid. iter Ext. Ath. Kirch. Nam sicut microcosmi moles, nisi notabili alicuius ossaturæ fundamine stabilita, aëris arenarumque instar,

facilime subrueret, dissiparetur, ac evanesceret, ita & geocosmi corpus facilime jacturam inundationis, ac dissipationis subiret, ni montium cocatenato ligamento, venter ejus innumeris pyrophylaciis, aërophylaciis, ac hydrophylaciis prægnans, ligaretur ac coarctaretur.

§. IV.

Paucissimus ita obiter & ὡς ἐν παρόδῳ libatis montium utilitatibus, ad propositi metam pergentes; in antecessum tamen notamus: quod quemadmodum, in microcosmo, nonnulla receptacula, ut cerebrum, hepar, vesica, humore exuberant, quædam vero calore exæstant, ut cor, alia aërio spiramine turgent, ut pulmones; pari ratione, provida mater natura, interiorum Geocosmi structuram variis receptaculis aëris, ignis, ac aquæ instructam esse voluit. Ubi autem mox sententiam nonnullorum, anticipamus, quasi rectæ rationi maxime dissonam, qui eò audaciæ progressi sunt, ut rectæ rationis
facul-

o
facultate ipsis in transversum rapta, as-
severare haud subvereantur, terram in-
trorsus solidam ac densam esse, imo in-
star glomeraminis cujusdā, totā (quanta
quanta demum est) esse compactam,
nullisque receptaculis ceteris elemen-
tis aptis, scatere. Quorum pervēsis ce-
rebellis commode regeri potest effa-
tum maximi nominis Philolphi, Plinii.
inter crimina ingratiſſimi animi referentis,
quod naturam terræ ignoremus. Quibus
etiam geminatis vocibus reclamatur ipsa
natura. Nam sicut extrinsecus videmus
terram non æquali facie gaudere, ve-
rum nunc altius semet elevare, ac pro-
minentibus montibus superbire, nunc
vallibus deductam apparere, hic vastissi-
ma deserta, ac solitudines alere, ibi
spatiosissimis campis vestiari, partem
oceano ac præ altis lacubus gravidam
esse, partem fluviis ac torrentibus cin-
gi. Haud absimili ratione introrsus
geocosmi ventrem, per plurima intra
propria viscera spatia, concameratas
speluncas, tractus immensos habere,
haud

multis argumentis, antea demonstratum ivimus. Quod ipsum assensu excipiunt quidam magni nominis viri, multique rerum naturalium mystæ, utpote Plinius, Ælianus, Lucretius & Seneca, cujus hæc sunt verba de agro Puteolano. *sunt ibi Specus vasti, sunt ingentes recessus & spacia, suspensis inde montibus saxa, simul abrupti in infinitum hiatus, qui sæpe illapsas urbes receperunt, & ingentem in alto ruinam condiderunt.* Poro lib; 3. ad nostrorum corporum Exemplar. in quibus vene & sunt, & arterie, illæ sanguinis, hæ spiritus receptacula. In terra sunt quoque alia itinera, per quæ aqua & alia per quæ spiritus currit. Ac denique cap: 19. sunt & sub terra minus nota nobis jura nature, sed non minus certa. Crede infra, quicquid vides supra; refert etiam P. Matinius (Citante Kirch) in egregio suo opere, quod Atlantem chinicum vocat, esse in medio regno sinarum vastissimū montem, fimbriis suis in remotissimas regiones undiquaque exporrretum, qui cum ob salebrosam scrabitiem difficulter trans-

transiri possit, natura huic malo consul-
tura, totum montem vastissimis specu-
bus ita pertudit, ut totus ex uno la-
tere in oppositum exitus detur; imo
in tantam amplitudinem exporrigitur
hic mons, ut non nisi semestri spactio du-
ctus ejus emetiri liceat fuisse, qui
hoc subterraneum iter ingressi sunt, &
pauci reperti, qui retulerunt mira, &
prorsus paradoxa.

§. V.

Aërophylaciis porro plena esse inte-
rioris telluris viscera, omnes Geo-
graphorum libri, haud obscure demon-
stratum eunt. Cum vix ulla sit regio,
quæ non aërophylaciorum spiracula
manifestet. Refert Strabo inter Marssi-
liam & Rhodani ostium, campum esse
stadiorum centum, locumque refertif-
simum silicibus, hominis pugno haud
minoribus, ibi sponte ab ipso ejus cam-
pi solo, ventum efflari, cujus tanta vis
est, ut eodem silices per turbinem,
grandinis more eleuet, hominesq; ster-
nat, & curribus ejiciat, armis quoque
de

denudet, ac vestibus, unde Deorum pugnam ibi contigisse, nonnulli fabulantur.

§. VI.

Hydrophylacia etiam fontibus, amnibus, lacubus producendis aptissima, intra terræ montiumque altissimorum viscera constituta esse satis superque Kirch itin Ext. II. commonstrat. Præterea reperiri in intimis geocosmi thalamis aquam, vel effectus evincere possunt, qui elucescunt in nonnullis lacuum, maris, oceanique locis adeo profundis, ut omnem bolidis mensuram quantum vis immensæ longitudinis, respuant. Inter quæ, gurgites, vortices, euripi, numerari possunt. Vid contemp. pl: Beat mem: Achrelii. Quod ipsum multis verborum parasangis ultro mecum comprobatur, ingeniosissimus Varenius. lib. I. Evincunt idem perplurimi fluvii, qui præcipiti cursu in terram labuntur, ac diu inter cæcas voragines, feruntur, donec tandem quacunqve porta patet, exitum quærunt, ac sese evolvunt, novum alveum facientes.

§. VII

§. VII.

Hisce simplifissimo ftili genere præ-
 notatis, nunc exigente connexion-
 ne ordinis, etiam nonnullis rationum
 ponderibus, existentiam ignis subterra-
nei evictum ibimus; in qua materia e-
 nucleanda, pro talento ingenii operam
 noſtram hac vice collocare, animus eſt.
 Quem ignem in terræ viſceribus dari,
 citra omnem pulveris jaſtum compro-
 bant, ut cetera ſilentii peplo involvamus,
 montes igniferi, quin & Thermarum
 multitudo, quarum qui rumiuatur va-
 rietatem, is haud dubie vulcaniorum
 hæc craterum æſtuaria in intimis terræ
 penetralibus, natales ſuos habere, vel
 invitus fateri cogetur. Taceo quod abs-
 que ejusmodi igne, terra quaſi demor-
 tua jaceret, nec ullis mineralibus pro-
 gignendis apta dicenda. Non quidem
 ignoramus multis haud infimi com-
 matis viris, ſub ancipiti hæſiſſe existen-
 tiam hujus ignis, quorum quidam in
 has, quidam in illas tranſverſum rapi-
 untur errorum fyrtes & voragines.
 Hos

Hos inter haud ima sponda ponendi Democritus, zoroaster, & Michael Watsonius, qui dicunt nullum esse ignem subterraneum, tum quod ibi prorsus durare nequit, tum quod extingvatur, dum operimento contegitur. Verum nos regerimus ipsis, quod possit durare, & multiplicari ob copiosum pabulum, quo fruitur, insuper nec extingvitur sub operimento, sed carbonū instar sub cinerum integumento gliscit. vid Kipping: inst. Phys. Neotericorum autem totus Chorus, unanimi consensu hunc dari asseverat. Philosophorum Antesignanus, observatis ignis effectibus, quos inter admirandas olim recensuerat auditiones lib. de mundo c. 4. terram uti aquæ, ita amplissimos spiritus, ignisque scaturigines continere docuit. Vid Kirch. mund: sub. Testantur hoc ipsū Ephemerides summorum virorum, plinii, Tullii, quicq̃ inter alia naturæ arcana, & hunc ignem notarunt. Poetis quoque adeo persuasus est hic ignis, ut fabulosis e-

orum

Carminibus maxime fit inclytus, quorum Lucretius hinc canit:

*Principio tellus habet in se corpora prima,
Unde mare immensū, volventes flumina fontes
Assidue renovent; habet ignes unde oriuntur:
Nam multis succensa locis ardent sola terra,
Ex imis vero furit ignibus impetus Æthra.*

Imo penū omis elegantiae Seneca lib. 2. Nat. quæst. nostram opinionem calculo suo roboratum it, dicens; *Sunt igneis terris operti, quorum aliqui erumpunt, innumerabiles in abscondito flagrant & obscuro semper.* Longum esset enumerare omnes, qui hunc ignem dari certis rationibus suffulti comprobant, quorum sunt Daniel Señertus, Kipping. Jttigius, kirch. ignis huius mentionem etiam injicere Ken: Cart. Robertum Boile, Rouhaltium, Claubergium &c certum est. Quin & si consulamus historicos possumus sine difficultate colligere, per omnes mundi plagas reperiri vulcanios montes hoc ipsum commonstrantes.

MEMB.

MEMBRUM POSTERIUS.

§. I.

His levissima tinctura adumbratis, nunc exigente coñexione ordinis, operæ pretium erit, interiorem animi aciem in rei substratæ viscera dimittere, modumqve ipsum, quo inflammatio hæc ac eruptio contingat, inquirere, qui sane multorum ingenia mirum in modum torfit, ac in errorum abditas silvas & devia tesqva præcipites dedit, adeo ut ariadnéo filo opus habeant, quo irremeabilem opinum concurrentium labyrinthum evitare possint. Nos vero cum nemini super hac re dicam pingere statuimus, sed libertatem hic suam cuiqve integram relinqvere; memores verborum à Magistro subtilitatum, prolatorum scilicet, *quod in minutissimis etiam cæcutiamus.* Verba igitur Apicis omnis elegantia Senecæ in nostrum commodum apponamus. *Multum egerunt, qui ante nos fuerunt; sed non peregerunt, multum adhuc restat operis, multumqve restabit, nec ulli post mille secula*

*cula præ ludetur occasio aliquid adhuc adju-
ciendi.*

§. II.

In re maximè abstrusa plurimisqve
difficultatum spinis obfita, aperire
mentem suam, haud minimi momenti
est, optimorum tamen hac in re
insistentes vestigiis, qui vel ve-
ritatem attigerunt vel haud longe à
vero abfere, asseverare haud subve-
remur, ignem subterraneum cryptis
geocosmi ultro citroqve meantem cau-
sari ejusmodi inflammationes. Unde
nulpiam ignis erumpit, aut in aliquo
loco calor se prodit, quin ignis
ibi subter niduletur, est enim, referente
Du Hamel, vicarius solis. Incensionem
hujus quod attinet, potest ea multis
modis expedita dari, nam quotidia-
na experientia edocti, multoties cerni-
mus lapidum conflictu igniculos elici,
quin & è collisione filicum & calybis
scintillulas expromi, aëremqve vehe-
mentiori attritione verberatum fulgu-
rationes edere. Haud absimili ratione
etiam

etiam contingere in subterrestri regione, facile nobis persuademus: nonnunquam enim acrius motu concitatae pingves particulæ & exhalationes ignes accendere possunt; interdum lapsus Saxorum, quæ vel vetustas, vel cæcus aquarum ductus laxavit, ignem incendit, cadendo in substratum solū, vel obvia alia saxa. *Nec parum ad ignis in specubus latentis incrementum dilatationemque ventus conferre potest, dum cavernis afflatus, illum magis aut minus accendit, efficitque, ut plus correpta materia, in flammam abeat, & vehementius exasperetur, vid. Ant Le Grand. in Hist. nat: Idem & maximæ existim. Philos. Kirck. assensu excipit. Fiatus etiã ex penitissimis cavernis evolantes, ad hujusmodi exitum, & quasi ad proprias fauces sopitos ignes, materiam, proxime quæque fuerit, veluti follibus quibusdam exsuscitant. Concipiunt ergo combustiles & pingues materiæ, quas longa serie recenset nominatus Autor, Non à sole, nec à fulmine & fulgetris, sed ab igne subterraneo, aditum ad eas per ab-*

ditos rupium recessus, quos urit, facientes;
 vel si ab igne non immediate tangantur, tum possunt incendi à marinis fluctibus ventorum impetu, per inciles submarinos in eas intrusis. Fieri etiam potest, ut ex allisione vehementi, fluctuum in locis angustis, & agitatione spirituum, materiae combustilis, attritione pingvis aëris ignem concipiant. Mare namque perrenni pericyclofi ac circumgyratione non est tranquillum, sed tempestatibus vehementioribus jactatum, aërem inter varias meatuum angustias, tam rapide, tantaque celeritate movet, ut non solum multum caloris producat, sed etiam vehementi motus sui percussione, corpora inflammabilia reddat.

§. III.

Per magni etiã nunc interest scire, quare ratione ignis hic (si similis sit igni quo quotidie utimur, ac ejusdem speciei, quorum utrumque affirmamus) pabulum suum indipiscatur, quæ res plurimum nobis facessit negotii. Ubi nobis quidam ogganniunt, talique objectionu ballista, nos aggrediuntur, dicen-

centes, quod hic ignis, ut noster, aut defectu pabuli pereat, aut tota terra perenni combustione consumetur. Quodcunque autem dixerimus, rem periculo eximere haud possumus. Verum enim vero, hi si cyclicas naturæ operationes cerebello suo caperent, sanè non tantopere mirarentur; cur nullo unquam tempore, pabulum ei ad perpetuanda incendia desit. Natura enim rerum provida mater, semper de novo fomite illi providet, ita ut quantum, depascatur, tantum ei de novo subministrat Terraqueus globus. Deinde ne hic ignis vi sua terræ detrimentum injungat, melior providit natura, quæ à rerum conditarum procuratione non vacat. Quod ipsum ingeniosiss. Claub. Disp. 26. haud diffetetur dicens: *Cum lex natura prima sit, unum quodque manere in eo statu, in quo est, donec ab aliqua causa externa inde deturbetur, consequi videtur, flammam semel existentem etiam absque alimento perseverare debere, dummodo ab externa causa non destruat, haud aliter, ac alia quævis corpora in statu per-*
durant

durant. Fidenter igitur asserere possumus,
ignem pabulo non destitui. Cum plus vice
 simplici pateat, terram locupletissimam
 esse materiarum copia, ignibus conci-
 piendis alendisqve aptissima, utpote
 bituminis, sulphuris, naphthæ, aliisque
 facibus ignium, ab intima terræ caligi-
 ne, simulq; ab incumbente maris pereni-
 ni motu propagatis. *Tam larga enim est*
rerum omnium altrix natura ad reddendam,
quam ad promendam. Possimus etiam di-
 cere pabulum & tomitem ignis sub-
 terranei, motum maris perpetua flux-
 us ac refluxus reciprocatione, æstuan-
 tis sequi, ex hujus enim concitatione
 illud per occultos meatus, uti jam sæ-
 pe inculcatum est, suum pingve &
 humidam, calido & sicco, in intimis
 telluris finibus, sub sulphureis glebis,
 nidulanti junctum, incessabili novæ
 generatonis fœtu, quod absumptum est,
 instaurat, prout scite, ut cetera Kir.
 Vnde cuivis obvia est mira indeficiens-
 que naturæ in operationibus suis *ωει-
 κωσις.* Nec quemquam subeat ad-
 miratio

miratio, si etiam dicamus, pumices, cineres, aliasq; exustas materias & quavisquillas, ignis furore expulsi, successu temporis, in novam converti aptam ignibus materiam: potest namque novo e caelo proveniente comiteatu impraegnari, & novos successu temporis foetus concipere, ut iterum ardeat eadem materia, ceu canit Virgilius.

*Cetera materies quaecunq; est fertilis igni?
Ut semel accensa est moritur, nec restat in
illa,*

*Quod repetat: tantum cinis & sine semine
terra est,*

*Hic semel atq; iterum patiens, ac mille
Perhaustis Ignibus instaurat vires.*

Concludimus igitur, quod tamdiu perseveret flammaram eructatio in montibus huiusmodi, quamdiu materia subest, quae ipsi alimentum subministrat, unde & montes accensi, post aliquod temporis intervallum furere desinunt, ac non diu post, vires suas resumunt & ignes alios seu saxa ejaculantur.

Quis igne erumpente, laxatisq; dactis mon-

tium lateribus, aquæ allabuntur, quæ deserta loca occupant, ostiaque obstruunt, ne tam cito alia exhalabilis materia congregetur, & novis ignibus pabulum præbeat. Accidit quoque, ut vehementi flammarum emissionem, montium partes subvertantur, quibus via halitibus præcluditur. Expectandum igitur est, donec satis sulphuris ac Bituminis denuo colligitur; prout accuratè hæcce persequitur Ant. Legr. hist. nat. art. 8. Sed subodoramur hic nonnullos (nescio quo spiritu vertiginis correptos) nobis obmurmurantes, qui contendunt, Solem causam esse hujus caloris subterretris, quibus tamen ipsa experientia reclamatur. Cum radii solares non ultra de eam pedum altitudinem penetrent, neque solū venti, aliaque meteora hinc proficisci possunt. Subscribimus ergo sententiæ Joh. Bapt. Du Hamel, dicentis: ignem subterraneum effectricem esse causam omnium fere Catastropharum, quæ in terra visceribus fiunt. Nec moramur eos, qui eò erroris progressi sunt, ut præconceptæ opinionis pruritu statuerint, ignem cæcum

cum five potentialem in causa esse, cum
 eis obviam it prænominatus *Du Hamel:*
verba ejus hac sunt: *nec Bitumen, nec sul-*
phur, nec alia substantia, aquam trajectam
calescere potest. Deturbatur ergo suo fun-
 damine eorum assertio de igne ejusmo-
 di potenciali.

§. IV.

Si autem quis à nobis exigeret rati-
 onem, cur non ubivis terrarum, e-
jusmodi ignis subterranei eruptiones
 fiant, eidem reponimus, quod causa
 danda sit varietati locorum, quæ quo
 remotiora sunt à maritimis oris, eò et-
 jam insolentiora alunt ejusmodi ignes
 subt. æstuaria, crebrioribus autem ta-
 libus vulcaniis officinis affligi terras
 mari propiores, nobis persuasum est.
 Cui sententiæ calculum suum addit Just
 lib. 4. Cap 1. dicens, *terram mari vici-*
nam tenuem fragilem esse, ac proinde igni-
bus fovendis ac nutriendis aptissimam.

§. V.

Jam nonnullos montes ignivomos in
 Jicenam proferre animus est, ut eos tan-
 quam

quam ex ungvibus leonem æstimemus: Horribilissimam eorum faciem, multis verborum anfractibus depingunt Historiographi, scil. quomodo excedente hominum fidem rabie, interdum sæviunt, inauditoque murmure ac tremore, omnes vicinas regiones opplent, quin & omnia, quæ attingunt, tristi ac luctuoso vultu cooperiunt. Nam dum hi montes vibrent ejusmodi rejectamenta, quæ per hos naturæ caminos eructat ignis subterraneus, tanquam per naturæ cloacas, tum pestiferis halitibus, fumis, cineribus, aliisque rejectaneis materiis, totum aëra infestant, nitorem syderibus, spissitudine harum auferunt, cælumque ipsum tristi squalidoque amiculo involvunt. Hinc ubertate, ac annonæ proventu, sæpius privantur accolæ proximi, quibus haud rarò necem etiã inferunt ejus modi nociva effluvia, quibus aër, tempore eruclationũ scater.

§. V.

Montium omnium igniferorum mentionem injicere, quibus totum geocosmũ

cosmi corpus vestitur, non fert papy-
 rus, nec permittit ratio tempois. Bre-
 vitati. ergo litantes aliquot solemniore
 hic recensēbimus: tales sunt Chimæra
 Lyciæ, Ætna Siciliæ, Vesuvius Campaniæ,
 Hecla Islandiæ, Balaluan Sumatræ, Ter-
 nate Moluccarum, Cordillera Peruviæ,
 montes profundissimi nitro ac sulphure
 pleni. Et quis omnes eiusmodi vulca-
 nias officinas recensere possit? quæ in
 toto terraqueo globo se produnt. Inter
 alias maxime tamen eminet Ætna, Poë-
 tarum carminibus, ac geographorum
 encomio famosissimus, cujus vastissimi
 crateris descriptionem Cit Auth: *νατὰ*
τῆν ἀνὸψίαν observatam habet in suo
 mund. subt. lib. 4. *Est Ætna mons qui-*
dam ignes eructans, qui verticem ad 30 millia
passuum juxta axem, ut à Mauralyco & Cla-
vio, qui ejus altitudinem Geometrico ratioci-
nio explorarunt, in altū erigit; 60 vero, vel ut a-
lii 100 milliū passuū radicibus circumfusus, spa-
ciū occupat, pinetis, fagis, altissimisq; abietibus
nemorosus, ad summum vero verticem instabi-
li cinere pumiceq; confragosus, per vastissi-
mura

num 12 milliarium, in ambitu, fatiseit craterem, qui arduo introrsum clivo sese in tartara usq; angustat; visu horribile precipitium, flammis, fumo, tum ex imo tum ex lateribus montis cum horrendo mugitu, tonitruis non absimili erumpentibus, adeo formidandum, ut vel ipsa imaginatio jam jam instantis ignis ac ruinae, neminem, quantumvis audacissimum & intrepidum, non primo statim occursa consternat, atq; à quodam veluti infernali barathro avertat. Hujus montis varia incendia diversis temporibus notavit idem autor, ut & Jonstonius in admirand. Element. Cap. 9. Anno 1329, Julii idibus ad vesperascente celo, ex inferioris montis parte, ex inopinato hiatus, ac paulo post in eodem agro duo alii sunt aperti, ea vi, ut ex quatuor crateribus, parvo intervallo inter se distitis, ingentiũ lapidũ congeries una egesta, profundas valles & nemonum saltus in montes arduos extulerint. Chronicon præterea incendiõ hujus montis, secundum diversas temporis vices notatum egregiè Ath. Kir. utpo-

te

te ἀποκρίσις testis lib. 4. mund. subtr. exponit, adeo ut optime (hac in re) satietati lectorum mederi videatur.

§. VI.

Haud longe à radicibus Montis Ætnæ, stabulantur Liparitanæ insulæ, si-
ve Æoliæ, alias vulcaniæ dictæ, quarum
Strabo meminit, & sunt numero septem,
ut Liparis, Hiera, Vulcanellus, Didyma,
Thermisia, Liscablancia, Baziluzus &
Strongylus, qui incendiis sævit non in-
ferioribus Ætnæis, aut Vesuvianis, te-
ste sæpius nominato Authore. Possu-
mus etiam nomina Vulcaniorum cra-
terum plurimarum Regionum appen-
dere, sed festinationi inclusi ea heic
mittere jubemur. Hoc tamen aperte
& citra verecundiæ notam dicentes,
quod vix ulla sit Regio, quæ non ali-
quem vulcanium montem, Craterem,
vel abditum æstuarium alat. Nec ul-
timam septentrionalis plagam, horum
expertem voluit, rerum uberrima al-

trina

trix natura. Verisimile enim est Heclam Islandiæ, & Groënlandiæ Vulcanum per occultos cuniculos sibi invicem correspondere, & ad frigoris glaciærumque vehementiam domandam, per abdita æstuaria perpetuo negotiari. Unde concluditur, cur in nonnullis septentrionalibus insulis, & Norvegiæ, Finmarchiæ, Biarmiæ, Lappiæ, littoribus, in una parte mare facillime congeletur, in altera nulla frigoris niviumque vi concreascit: Quin & in nonnullis locis pascua una cum arboribus & agris fecundissimis, reperiantur; in aliis ut in Nova Zembla, neque gramen, neque arbores, neque quicquam homini proficuum, obvium fit.

§. VII.

Ignis hujus mirabiles effectus passim prodire indies cernimus, qui merito heic recensendi essent, præsertim cum inter alios currenti anno, non ita pridem, Abodica gleba hoc ipsum cum
 omni-

omnium admiratione experta sit :
 Verum enimvero, nostri non est in-
 stituti eosdem ex asse rimari, eorun-
 demque genuinas causas, indagare, si-
 quidem brevi exactam eorum expo-
 sitionem, publicè defendendam, qui-
 dam nostri ordinis in se suscipiet. Hoc
 tamen dicimus, omnes fermè ejusmodi
 miras catastrophas, quæ in terrestri
 regione contingunt, etiam aliquo mo-
 do posse adscribi igni subterraneo,
 qui ipsum aëra, & exhalationes pin-
 gves, atque spiritus acres vehemen-
 ter agitat, qui postmodum sic agita-
 ti, quacunq; porta patet, evagan-
 di viam quarunt. Unde nemini mi-
 rum videatur, quod sæpius magnos
 tumultus excitent, quandoque etiam
 maximas terræ quassationes, imo in-
 terdum ipsorum claustrorum fractio-
 nem attentant. Hic currenti crenæ
 sufflamen injicimus, filumque abrum-
 pimus, ne longius provehamur, quam
 propositi ratio postulat. DEO Opti-
 mo

mo canentes gloriam infinitam & sempiternam, cujus mirabilia, quæ ad laudes vel invitos invitant, fuimus contemplati, qui noster Ductor fuit, & eo clementer beavit sine, quem optavimus. Habes hic Candide Lector ingenii mei Primitias, quas hac vice decrevi luci publicæ exponere tuum erit B. Lect. lucubrationes hasce meliorem in partem interpretari, ac ea quæ vel ingenium meum fugerunt, vel per festinationem transierunt, supplere, quod majorem in modum à te expeto & contendo.

Literarum cultura ac morum politissime

DN. ANDREA LUNDELI,
 Dissertationis hujus de *Montibus Ignivomis*
 Auctor perindustrie, Conterraneæ
 & Amice sincerè dilectæ:



Ad varios ausus ducit sua quemque voluptas:
 Optima, quæ mentes ad pia facta trahit.

Vir-

Virtus sola suo potuit prodesse nitore,
Cætera cum tempus pallida morsque
vocant.

Scilicet ille rofas Pæstaniis quærit in a-
gris,

Et sub Hymtetæo dulcia mella jugo,
Qui juga Parnassi contendit in ardua
montis

Et sua Pierio femina mandat agro.
Te doctrina beat multū, virtute vigescit
Menstua Phœbei stella corusca chori.
Hinc benè sat cultæ tradis tua femina
terræ,

Nec tardo solidam dente revellis hu-
mum,

Hinc tua fideream virtus collimat ad
arcem,

Hinc de Te poterit posthuma fama
loqui,

Non cursū sistas; I, Consociare Camœnis
Dulcibus; & meritis Tî remanebit
honor.

Te DEUS ex alto confortet, corde præ-
opto

Judicium formet, subsidiumq; ferat!

MAGNUS ALPH.

Σ πέντασον ὡς ἤρξω πῶς τῶν ἀρετῶν
κελευθῶν

τῶ τε βιῶ ἀγονθῶ τε καὶ ἤθεσι, δὴ πανο
ναρίστοις

Οὕτως σοὶ λαμπρὸς σέφανος καὶ χαρμα
ἔπονται.

Εἰς τὸ τῆς πρὸς ἡμᾶς Φιλίας
κευθήλιον

IVENO MELANDER.

